



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

49 Excommunicationis poenam incurrunt percutientes personas ad Romanam curiam pro eorum negotijs recurrentes advocatosque, procuratores, & iudices.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

res, seu praestantes eis auxilium, consilium, vel favorem, ut per d. Bull. Cæna Domini n. 11. Navarr. eod. cap. 17. nu. 67 & Sayr. d. lib. 3. cap. 15. num. 1. offendentes autem Cardinales graves etiam poenas incurrunt, de quibus in c. felicit. de poen. in 6. Quas Pius V. innovavit, statuens, ut quis etiam à nudo consilio, aut à simplici favore, quempiam, aut horum administratorum, vel confessorum conjurationis, sive conspirationis, aut commissi, committendive criminis in personam Cardinalis illorumve fautorum, receptatorum, vel occultatorum non excusetur, sed excommunicationis laqueo innodatus crimine læsæ majestatis reus, infamiamque ac omnes poenas, de quibus in dicto c. felicit. eo ipso incurrat, ut in constit. Pij V. in Bull. Rom. cap. 93. offendentes quoque Episcopos graves etiam poenas incurrunt; de quibus in clem. si quis suadente de poen. & qui dictas poenas incurrant tradit Sayr. eo cap. 15. per tot.

49 Duodecimò ¶ eandem excommunicationis sententiam incurrunt qui per se, vel per alias personas ecclesiasticas, vel seculares quascunque ad Romanam curiam pro eorum negotijs, & causis recurrentes, ac illa in eadem curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumve gestores, advocatos, procuratores, & gentes, seu etiam auditores, vel iudices super dictis causis, vel negotijs deputati percipiunt, bonis spoliant, seu, qui per se, vel per alios, directè, vel indirectè, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur; cujuscumque præminentia, & dignitatis fuerint, ut in

ead. Bull. nu. 2. & per Nav. d. c. 27. n. 68.

Qui ¶ enim ex causa litis, vel negotij in curia Romana morantur, sunt sub protectione Sedis Apostolicæ, ut per Cajet. in ver. excommunicatio cap. 15. Sed ad incurrendam dictam excommunicationem, hoc casu requiritur, ut læsio fiat intuitu negotiorum, aut causarum in curia Romana pendentium; alioquin, si ex ira, aut voluntate furandi, vel contracta aliunde inimicitia, dictæ injuriæ litigantibus, & alijs personis præfatis inferantur, in eandem excommunicationem non incurrunt. Cajet. in ver. excommunicatio d. c. 19. Arnil. in ver. excommunicatio 6. & Grass. decis. aur. c. 18. n. 118 par. 1. lib. 3. qui autem dictam excommunicationem incurrant, tradit Sayr. in d. lib. 3. c. 18. num. 2. Et limitantur generaliter omnes actiones, propter quas dicta excommunicatio fertur, quando occasione, vel intuitu causarum, vel negotiorum sunt, ut per Card. Tolet. d. lib. 1. c. 26. vers. limitatur tamen.

Decimotertiò ¶ appellantes à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad iudices seculares, quivè iudices executionem earundem litterarum impediunt, & prohibent; ac statuunt, ne habeatur recursus ad Sedem Apostolicam pro litteris impetrandis, vel impetrata retinent, eandem excommunicationis poenam incurrunt, ut in ead. Bull. nu. 13. Navar. eod. cap. 27. num. 68. & Grass. d. cap. 18. num. 119. Quæ autem personæ in dictam excommunicationis sententiam incurrant, & quando, diffusè ponit Sayr. in eodem lib. 3. cap. 17. Et nihil refert an dicta impedimenta fiant auctoritate publica vel privata, sive ec-

clesiasticæ.